

æterna sunt. Et Heb. 13. Non habemus hic
 manentem civitatem, sed futuram inquiri-
 mus. Quod si revera advenæ sum⁹, nec ^{Homo}
 manentem civitatem habemus in hoc ^{creatus}
 mundo, sequitur nos hujus mūdi cau- ^{non ad}
 sa non esse creatos, superesse vero no- ^{hanc sed}
 bis alium mundum, aliam patriam, a- ^{ad alte-}
 lias sedes, pro quib⁹ vel centum mun- ^{ram vi-}
 dos, imo vitam ipsam impendere in- ^{tam.}
 lucro sit deputandum. Quæ sciens ve-
 rus Christianus, gaudet ex intimis sen-
 sibus se ad vitam æternam conditum,
 inq; hoc unum incumbens ut in Deo
 ditefcat, ridet amore mundi occæca-
 torum insaniam, qui animas suas
 propter hæc fragilia & caduca miser-
 rimè affligere, atque adeo etiam per-
 dere non vereantur.

CAPUT XVIII.

DEUM GRAVISSIME IRASCI HIS
 qui caduca æternis præferunt; tum
 cur & quatenus cor nostrum crea-
 turis addicere non debeamus.

Numer. 11. *Ecce accensus in eos ignis
 Domini devoravit extremam
 castrorum partem.*

Vulgus illud Israëlitarū quod cō-
 tra Mosen murmurat dicēs: *Quis
 G 5 dabit*